



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Archiepiscopis, Et Episcopos, & aliis Ecclesiarum Praelatis, ad quos literae istae pervenerint.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

mandamus quatenus ipsam tamdiu faciatis auctoritate nostra, nullius contradictione vel appellatione obstante, inviolabiliter observari, donec pastorem suum A. unanimes voluntate recipiant, & debitam sibi obedientiam & reverentiam impendentes, de perpetratis excessibus juxta disciplinam sui ordinis satisfecerint competenter; in irritum revocantes quicquid in prædicti Abbatis præjudicium post appellationem ad apostolicam sedem objectam constiterit immutatum; ipsos monachos auctoritate apostolice compellentes eidem Abbati satisfacere in expensis mutuatis, dum ad sedem apostolicam per suos nuncios & etiam in propria persona coactus est laborare. Nullis obstantibus literis harum tenore &c. Quod si omnes &c. duo vestrum &c. Datum Romæ ut supra VIII. Idus Maij, pont. nostri anno I.

*VENERABILIBVS FRATRIBVS  
Archiepiscopis & Episcopis ad quos  
litera ista pervenerint.*

Epist. 148.

**C**um in Ecclesiis dilectorum filiorum nostrorum Abbatis & fratrum Virziliacen. per eos capellani constituantur, qui debeant ipsis de temporalibus respondere, dignum est & consonum rationi, ut sicut ex consuetudine observatur, super his controversia mora ad iudicium ab eisdem fratribus compellantur. Ideoque fraternitati vestræ præsentibus literis inhibemus ne capellanos ipsos, vel eosdem fratres, contra renorem privilegiorum suorum in audientia vestra pro temporalibus subire iudicium compellatis, vel si spontanei accesserint, in præjudicium memoratorum fratrum ullatenus admittatis. Sed si quid super his quæstionis emergat, coram eis secundum ordinem juris experientes suam justitiam consequantur. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud S. Petrum.

*ARCHIEPISCOPIS, ET  
Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatiis,  
ad quos litera ista pervenerint.*

Epist. 149.  
De immunitate & privilegiis monasterij beate Mariæ Virziliacensis.

**L**icet universa loca religiosa fovere ac diligere teneamur, illis tamen propensorem curam impendere nos oportet, quæ specialiter beati Petri juris existunt, & ad nostram nullo median- te provisionem pertinent & tutelam. Inde est quod nos jura monasterij beate

Mariæ Magdalene Virziliacen. volentes integra conservari, & contra molestationes indebitas fratres & idem monasterium speciali communire privilegio libertatis, ad exemplar scilicet record. Urbani, Clementis, Celestini prædecessorum nostrorum auctoritate apostolice prohibemus, ne quis vestrum in monasterium ipsum, Abbatem, aut aliquem de fratribus ejusdem monasterij interdicti, suspensionis, vel excommunicationis sententiam promulgare præsumat. quod si fecerit, eam decernimus non tenere. Libertates præterea & immunitates & rationabiles ejusdem monasterij consuetudines hæcenus observatas, tam in animarum cura Presbyteris Ecclesiarum Virziliacensis, Alconij, S. Petri, Castri insulæ, & Monterione committenda, & contrahendis matrimoniis, & legitime dirimendis, & excommunicandis, vel absolvendis, suspendendis, destituendis, & restituendis Presbyteris, Clericis, & parochianis Ecclesiarum illarum, quam in aliis negociis & sacramentis ecclesiasticis, rata esse decernimus, & eas à vobis præcipimus inviolabiliter observari. Nihilominus etiam vobis præsentium auctoritate mandamus, quatenus subditos vestros, de quibus ad vos prædictorum fratrum fuerit perlata querela, ad necessitatem satisfactionis debitæ, contradictione & appellatione cessante, per excommunicationis & interdicti sententiam compellatis. Alioquin eis auctoritate apostolica indulgimus ut eos candellis accensis vice nostra excommunicent, & nuncient excommunicationis & interdicti vinculo innodatos: quos tamdiu volumus sicut excommunicatos & interdictos ab omnibus evitari, donec de perpetratis excessibus satisfaciant competenter. Præterea quoniam (ut audivimus) parochiani præfati monasterij, qui pro manifestis excessibus à memoratis fratribus quandoque sententiam ecclesiasticæ districtiōnis incurrunt, interdum ad alia loca se transferunt, ut sic sententiam & justitiam fratrum eludant; districtè mandamus atque præcipimus ut eos qui taliter duxerint correctionem ecclesiasticam contemnendam, pariter & alios malefactores eorundem fratrum, qui vel à vobis vel ab ipsis aut ab aliis fuerint excommunicationis & interdicti vinculo innodati, cum requisiti fueritis, per parochias vestras tamdiu sicut ex-

\* f. satisfecerint  
competenter.

communicatos & interdictos faciat ab omnibus evitari, donec iidem malefactores\* satisfacere compellantur; & si delicti qualitas hoc exegerit, ad sedem apostolicam cum testimonio literarum Abbatum vel Capituli veniant absolvendi. Datum Romæ apud sanctum Petrum.

*GERARDO ABBATI  
monasterij beate Mariæ Magdalene  
Virziliacen. ejusque fratribus tam præ-  
sentibus quam futuris, regularem vitam  
professis in perpetuum.*

Epist. 150.  
De eodem ar-  
gumento.

**R**eligiosis votis annuere & ea operis exhibitione complere, officium nos invitat suscepti regiminis, & ordo exigit rationis. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium S. Mariæ Magdalene Virziliacensis, in quo divino mancipati estis obsequio, ab illustri memoria Gerardo Comite ipsius loci fundatore & uxore ejus Bertha beato Petro Apostolorum principi propria devotione oblatum, apostolicæ sedis patrocinio communimus, & ad exemplar prædecessorum nostrorum piæ recordationis Leonis, Gregorij, Urbani, Eugenij, Alexandri, Lucij, Urbani, Gregorij, Clementis, & Celestini Romanorum Pontificum statuimus vt idem monasterium in nullo teneatur alicui nisi tantum Rom. Ecclesiæ respondere, & illum vobis in Abbatem dari volumus & præponi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilij sanioris secundum Dei timorem & beati Benedicti institutionem elegerint, & Romanus Pontifex providerit ordinandum, aut suggestionem monachorum ejusdem loci consenserit ordinatum. Sanè consecrationem monasterij vestri & Ecclesiarum quæ sunt in circumadjacenti villa Castri insulæ, & Monterione, chrisma, oleum sanctum, benedictionem Abbatis, ordinationes monachorum & Clericorum, & cetera ecclesiastica sacramenta, vobis à quo malueritis catholico Episcopo suscipienda concedimus, qui apostolica fultus auctoritate quod postulatur indulgeat. Ecclesiæ verò ejusdem monasterij per diversas provincias constitutæ, & earum Altaria ab Episcopis, in quorum diocesi sunt, consecrentur, cæmeteria benedicantur, sacerdotes & Clerici ordinentur, chrisma & oleum suscipiatur; siquidem gra-

tiam arque communionem apostolicæ sedis habuerint, & ea gratis ac sine pravitare voluerint exhibere. Alioquin pro eorum susceptione catholica quem malueritis Episcopum adeatis, qui similiter apostol. fultus auctoritate, quod postulatur indulgeat. Porrò diocesano Episcopo in monasterio vestro, nisi forte ab Abbate fuerit invitatus, nec stationes agere nec Missas liceat publicas celebrare, neque ullam in eodem cænobio & circumadjacenti villa & in Ecclesiis Asconij, sancti Petri, quæ sunt in radice montis ipsius sitæ, & in Ecclesiis Castri insulæ & Monterione, dominationem exercendi vel interdicendi habeat potestatem. Mansuro in perpetuum præterea decreto penitus prohibemus ne Abbatem vel monachos persona quælibet secularis ad curiam suam judicandos vel in causam ducendos vocet; nec Abbas, vel monachi, aut eorum homines ab Ecclesia, cui serviunt, judicandi coacti pro susceptione iudicij curias Principum adeant aliquorum, neque per alicujus Principis potestatem Abbas cum hominibus Ecclesiæ Virziliacensis, si qua inter eos querela emerferit, in causam intret; nec aliquis eos adversus Abbatem defendere audeat, vel tueri; nec burgenfes vel homines Ecclesiæ Virziliacensis, præter Abbatem & monachos, quisquam Principum ad suam curiam judicandos, & distringendos, puniendosve ire compellat. Ad hæc, sæpedito monasterio auctoritate apostolica confirmamus quæcunque prædictorum fundatorum seu quorumcunque fidelium legitima collatione aut aliis justis modis noicitur possidere, & quæcunque justè in futurum & canonicè largiente Domino poterit adipisci. Præterea quieti vestræ providentes, auctoritate apostol. interdicens, & sub excommunicationis vinculo prohibemus, ut infra pertinentias monasterij vestri crucibus determinatas nullus hominum capere, invadere, seu bona sua auferre, sive assultum vel quamlibet offensionem facere, neque per alicujus Ducis vel Comitum auctoritatem quisquam sine licentia vestra in eodem monasterio Missas celebrare, & oblationes detinere præsumat. Nihilominus quoque prædecessorum nostrorum fe. mem. Urbani, Eugenij, Alexandri, Lucij, Urbani, Gregorij, Clementis & Celestini Roman.

Vide Notas ad  
Lupum Ferrar.  
pag. 367. 412.  
449. & seq. &  
in Appendice  
pag. 10.